

mam quadraginta millium ducatorum auri largorum faciant et constituent modis et terminis infrascriptis, videlicet, medietatem dictorum quadraginta millium ducatorum auri largorum præfato domino Imperatori seu nuntio sive procuratori dicti serenissimi domini Imperatoris habenti ab eodem serenissimo domino Imperatore legitimum et sufficiens mandatum ad ratificandum dictam treugam et iudicias, et præmissa omnia et singula et eorum quolibet, ac ad recipiendum et ad quietandum de receptis in forma transmittendo ab eodem domino Imperatore ad dictam civitatem Venetiarum, cum fuerit missus libere et absque aliqua dilatione sive exceptione: aliam vero medietatem dictorum quadraginta millium ducatorum auri largorum reverendissimo in Christo patri domino, domino Mathæo electo Gurcensi oratori et procuratori prælibati Cæsaris de proximo venturo ad urbem pro conclusione dictæ pacis in transitu suo quem faciet per dictam civitatem Venetiarum vel alteri per dictum Cæsarem deputando, habenti legitimum mandatum, postquam prælibatus reverendissimus dominus Mathæus electus Gurcensis in dominium temporale ecclesiæ romanæ se receperit, quam solutionem dictus magnificus dominus Franciscus orator, syndicus et procurator dictorum illustrissimi Ducis et Dominii promisit, quod dictus Dux et Dominium facient pure, realiter et cum effectu in terminis supradictis dicto serenissimo Imperatori et pro sua maiestate dictis procuratoribus et nuntiis, mandatum legitimum habentibus.

Item, remanserunt concordēs et convenerunt dicti procuratores, nominibus quibus supra, quod in casu et eventu in quibus sequatur pax, quam Deus optimus pro sua clementia et bonitate sequi permittat, ut speratur, dicta summa quadraginta millium ducatorum auri largorum, sic ut præmittitur soluta, computari debeat et computetur ac deducatur de summa et quantitate pecuniarum solvenda per dictum inclitum Ducem et Dominium venetorum præfato serenissimo domino Maximiliano imperatori electo, iuxta formam et tenorem capitulorum pacis inter eos componendæ, dictaque summa et pecuniarum quantitas diminuetur et diffalchetur, ac perinde habeatur ac si tunc manualiter solveretur.

Item, convenerunt, concordaverunt et promiserunt præfati procuratores, nominibus quibus supra, solemnī stipulatione interveniente, dictas inducias et treugam inviolabiliter tenere, custodire et observare durante dicto tempore, et quod eorum principales vel illorum quilibet tenebit, custodiet et observabit, prout in præsentia sanctissimi domini nostri Papæ,

et in manibus mei notarii infrascripti promiserunt, et tactis Sacrosanctis Scripturis juraverunt ad Sancta Dei Evangelia in animam eorum principalium attendere, custodire et observare, absque ullo dolo et fraude, sub pœnis perjurii, fractæ pacis, sive treguæ et induciarum, et majoris excommunicationis ipso facto incurrendæ per contravenientes, et interdicti in dominiis et regnis contravenientium.

Item, convenerunt dicti procuratores, quibus supra nominibus, quod eorum principales et illorum quilibet, dictas inducias et treugam et præmissa omnia et singula et eorum quodlibet specialiter et expresse infra terminum duorum mensium a die præsentium inchoandorum ratificabunt, promulgabunt et firmiter observabunt, sub pœnis infrascriptis.

Pro quorum omnium et singulorum præmissorum observatione, videlicet, quod dicti principes et Dominium prædicta omnia ac treugam et inducias supradictas pro tempore quomodo sunt factæ tenebunt et observabunt, prælibati sanctissimus dominus dominus noster Julius papa secundus, pontifex maximus præsens, ac summus et invictissimus dominus Ferdinandus rex catholicus, per organum dicti magnifici Hieronymi de Vich ejus oratoris, promiserunt et se sub verbo magnatum obligaverunt contra violatores dictæ treguæ, armis temporalibus et spiritualibus . . . et ad pœnas iuris contra violatores treguæ et induciarum prædictarum procedere, et ad represalias bonorum, rerum, et personarum contravenientium procedi, facere et mandare in eorum dominia.

Et insuper, prælibatus Sanctissimus dominus, dominus noster, pro majori et firmiori robore præmissorum, mandavit dictis partibus, et pro eis dictis procuratoribus et syndicis, nomine suorum principalium intervenientibus, præsentibus, audientibus et intelligentibus, sub pœnis excommunicationis latæ sententiæ in principales et interdicti in regna, dominia et terras contravenientium ipso facto incurrendis, ut treugam et inducias prædictas, modo et forma supradictis stipulatis et tactis, inviolabiliter attendere et observare debeant.

Datum die VI aprilis 1512. Acta fuerunt hæc Romæ in palatio apostolico, in aula sanctissimi domini nostri Papæ prælibati, ante conspectum Sæ Sanctitatis, et in præsentia prænominatorum reverendissimorum dominorum cardinalium, ibidem præsentibus illustrissimo domino Constantino de Cominato Macedoniæ principe et reverendis in Christo patribus domino Franciscis archiepiscopo Jadrensi et Nicolao de Capranica episcopo Neocastrensi, ac venerabilibus viris dominis Bartolomeo de